

præter naturam subsistens visceribus & interioribus partibus nocet. Præcipuè quidem in Ascite locum habet; aliquando tamen & in reliquis hydropis speciebus cum hac mixtis convenit. Cum autem paucis eam profuisse constet, cautè exequenda & quidem in principio, quando nimirum viscera nondum sunt corrupta, & vires adhuc valent. Apertio fiat ad latera umbilici, qua parte ilia vacua & inania sunt, & musculi ferè excarnes; vel paulo infra umbilicum, per tres digitos ad latera opposita parti maximè affectæ. Laurentius *l. 6. Anat. cap. 9. quest. 19.* sectionem per medium umbilicum tutissimè fieri affirmat; quod felicissimè succedit, cum natura ipsa viam nobis monstrat, alias non. Aqua evacuetur sensim, non confestim, juxta Hipp. *6. aph. 28. & 2. aph. 21.* nam si secus fiat, cum aqua anima educetur, ut observavit Arnold. de Villanov. *l. 2. cap. 30.* & Ambros. Paræus *l. 7. chirurg. c. 12.* Sic sutor in nosodochio Patavino ad D. Francisc. cui perforato cannula plumbea exciderat noctu, omni aquâ effusâ, manè est inventus in lecto mortuus.

XLIX. PHARMACIA succedit, in quo omne studium converti debet ad ea, quæ possunt serum & flatum consumere; hæc enim dum in corpore subsistunt, vix sperandum est alia auxilia posse conferre. Duo autem hic requiruntur: 1. Evacuatio materiæ. 2. Roboratio & Alteratio viscerum.

L. VACUATIO multis modis institui potest; vel enim illa fit: sensibiliter per os, alvum, urinam, sudores, vel insensibiliter, discutiendo flatus, præcipuè in tympanitide.

LI. VACUATIO per os non convenire videtur, nisi fortè æger propensus sit ad vomitum, & ventriculus non ita imbecillis. Præterquam enim, quod in hydropicis ventriculus semper ferè langueat, propter impendentem dyspnæam, & quia musculi abdominis non possunt liberè concurrere, à vomitu arte factò abstinendum nobis est; licet *Forestus l. 19. c. 29* recitet historiam cujusdam, qui mari interfaciens, & molestis vomitibus vexatus, ab hydrope sit liberatus.